

lis iniuste constituto, suppliciter die nocteque perorabat. Ex auditor ergo miserorum deus preces eius non despexit talique eum per soporem revelatione consolatus est. Duabus siquidem noctibus, cum alto sopore teneretur, contractis compedibus libertati donatus esse sibi visus est, quod etsi expectato minime constitit, maiori tamen fide atque spe orationum suarum domino ac sancto eius apostolo vota commendabat. Unde et tertia nocte iam non dormiens sed vere vigilans a domino exauditus ipsas compedes suas manibus contractans tam laxas reperit, ut uno pede soluto ultra quam credi potest exhilaratus iamque fugae praemeditans temptans cingulo suo solutam compedum partem alteri cruri, cui firmis serarum obstaculis insolubiliter inhaerebant, alligavit. Verum firmissima parietum compago nullam evadendi fiduciam praestabat, donec isctato rursus cogitatu suo in domino mirabile creditu evaginato quem gestabat nimiae parvitatis cultello, qui nec adversariis suspiciosus esset, miro et plus quam credi potest celeri ac prospero eventu saae quantitati fecit egressum. At vero si non affuisset ei divina propiciatio, omnis conatus eius in cassum fuisset. Sex namque contiguarum domorum non modicae altitudinis culmine manibus pedibusque transrepens / ex ipsius domibus fauces in tectis affore, ipsorumque de comprehensione inhabitantibus adⁱⁿ⁻vicem colloquentibus et sese alterutrum cohortantibus, non sine permaximo discrimine in manus domini et beati Mathiae apostoli se commendans saltum dedit ad terram, ubi quosumet confitentis ore subdivicis, pondere ferri quod gestabat alligatum cruri plurimum periclitatus est. Veruntamen evasit, atque ubi primum saae donatus est securitati, eliminatis compedibus ipsas in testimonium saae libertationis super sepulchrum sanctissimi apostoli detulit gratias agens.

28v

= W 17, f. L. 21v, Brl. 15r, M 544, P 17, B 161 v b

20.) Aliud.

Civis quidam Coloniensis Eustachius nomine Treveris veniens deo ac beato Mathiae gratias agere, ut ipsius verbis utatur: Peccatis, et meis exigentibus, quorum diuturna impunitate iustissimo iudici decingretus alterius differri non merebar, super lectum aegritudinis omnibus amicis et notis meis super vita mea desperatis corruis. quinque igitur mensibus in lecto infirmitatis versatus sum, sola^{c)} mihi uxor die nocteque adherens sine cessatione plangebat multaque cupida incolomitatis meae omnia substantia nostra in medicos

29r

29v

=W18, L.22r, Erl.15r, M 565, H 18, P 18, B 162 + b

expendit, sed pro medicina tormentum ^{c)} mihi nescis comparabat. Novissime omnium pius et misericors deus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, quendam trevericæ civitatis indigenam Gisbertum nomine haut dubio sua gratia inspiravit, ut me in tanta infirmitate detentum humanitatis cause visitaret. Cunque pro lectulo meo simul cum ceteris amicis meis et notis tanquam mortuo cadaveri assedisset, in tali, ait, necessitate omnipotentis dei, qui flagellat omnem filium quem recipit, misericordia / est devotissime flagitanda. Quis enim scit, si convertatur et ignoscatur deus et relinquat post se benedictionem? Ecce urbes nostras trevericam per merita dilecti sui apostoli beati Mathie omnibus quæ circa sunt regionibus multis miraculis longe lateque celsam fecit atque spectabilem, et sicut Romæ gloriosissimorum apostolorum Petri et Pauli, ita iam Treveris civitas nostra meritis beati Mathie apostoli ab omnibus ex quacunque tribulatione ad ipsam confugientibus tanquam singulare excolitur asyllum. Hinc igitur speciali non tantum illius civitatis sed et totius patrie nostræ patrono si consiliis meis acquiescere vultis, quoniam ipse infirmus sicut scitis ac videtis nec per se nec nobiscum pro salute sua quicquam egere vel disponere valet, fideiussore^s ipsius cordatenus vovendo supplicate, ut si vita salusque illi a domino per merita beati Mathie reddita fuerit, nudis pedibus, cilicio ad carcerem indutus reddendæ supplex debitor gratiæ ad eius postmodum Treverim deducatur sepulchrum. Felice illo prosequente amici mei assenserunt de omnibus quæ conuerat, et sicut ipsis narratibus accepi, ubi primum beati Mathie apostoli nomen invocaverunt, continuo ipsa hora ac momento et deinceps meliorationis mese indicia deprehenderunt, ut tertis die ammirantibus cunctis universa domus mese negotia disponere lectuli et infirmitatis oblitus. Et adiecit: Venio ergo coram vobis, beata fraternitas, omnipotenti deo creatori nostro et intercessori meo speciali beato Mathie laudes in commune et gratiarum actiones referens, quatenus vestræ beatitudinis orationibus participans per patrocinia / beati Mathie, sicut modo dilatus ad emendationem a periculo mortis, ita postmodum liberari merear a periculo simul animi et corporis.

21.) De muliere quadam.

Paupercula quedam mulier ac vidua de una villarum coloniensis pagi quæ iuris est ^{a)} ecclesie beati Severini gloriosi pontificis Coloniensium, cum filio quadriennæ^e venit ad tumbam beati Mathie largissimas deo et eius apostolo gratiarum actiones deferens, peractoque pro quo

53r

69.) ~~de~~ ^o ~~prædicatore~~ quodam mirabiliter meritis beati apostoli a morte liberatis.

1826, Anns.
nach Kloos,
1827

Anno verbi incarnati MCCXXVII^o, primo anno domni Gregorii papæ noni, regnante glorioso imperatore Friderico favente deo, qui omnia quæ vult facit in cælo et in terra, in mari et in omnibus abyssis, [qui producit] nubes ab extremis terræ, prædicatores videlicet sanctæ crucis, qui ubique terrarum discurrentes et crucis gloriam prædicantes, ex omnibus gentibus et populis et tribubus et linguis signaverunt servos dei et milites Christi in frontibus eorum. Sensus enim et cogitatio humani cordis, quæ ad malum prona est omni tempore ab adolescentia sua, promptissima reddita est in gloriam Christi et ad reverentiam sanctæ crucis, dum in remissionem omnium peccatorum populorum multitudines signarentur et in militia cæli boni milites conscriberentur. Unde et gloriosus imperator Fridericus signum salutis suscipiens non nisi in cruce domini nostri Iesu Christi gloriari voluit, pro cuius fide et devotione universi cruce signati gavisi sunt gaudii magno valde. Hoc pravum hominis et inscrutabile de abyso dedit vocem suam et altitudo terrenæ dignitatis manus suas ad cælum levavit. Ex istorum igitur numero prædicatorum prædicator unus erat Cuonradus nomine natione hallensis, quæ civitas imperatoris est in Suevia venit ad abbatem cistercii ordinis in Walrebach, quæ abbatia sita est in episcopatu Redesbonensi in confinio regni Boemæ, qui vices suas et auctenticum domini papæ prædicto magistro Cuonrado in prædicanda cruce commisit et litteris suis et sigillo confirmavit. Veniente autem iam dicto Cuonrado in civitatem quæ Cubitus appellatur, Pragensis episcopatus, spectantem ad cameram regis Boemæ, et cruce prædicante tot milia militum et multitudines populorum signum crucis acceperunt, / ut idem rex Boemæ, cum proponeret bellum inire cum duce Austriæ nec posset eum resistere, quia magna pars militum suorum a prædicto Cuonrado signata erat, nec vires suas bellis inanibus regis expendere vellet, furore nimio commotus et spiritu maligno exagtatus totam iram suam in ipsum Cuonradum effunder^e voluit, utpote quæ causa fuit tantæ discessionis sui exercitus et imminuta militia re-minuisset honorem. Igitur accensis animis notrium suam ascivit, munera ingentia promisit et eum in necem Cuonradi arnavit. Quia ergo pecuniæ obediunt omnia et munera etiam excæcant oculos sapientum excæcatus promissis obtulit se in decollationem innocentis. Multitudine ergo instar coronæ circumstante stabat ille regis notarius eviginato gladio, et prædicator crucis propter verbum crucis in modum

53v

dicans et vindicans misit in eum iram indignationis suae, indignationem et iram et tribulationem immissionem per angelos malos. Qui subito venerunt et infelices et miserum repererunt et in eundem ignem suum largum et copiosum proiecerunt et animam impiam hominis impiissimi crudeliter extorserunt. Ministri venientes et cibos inferentes viderunt horrendum et horrifice infelicissimum suo igne consumptum, sicut de impiis scriptum est: Cadunt super eos carbones, in ignem deicies eos, in miseriis non subsistat. In tali ergo sua culpa detestabili factus est culpa diaboli et qui multis diebus licite potuisset deliciari, contemptor dei et beati apostoli meritis suis exigentibus et suo igne consumptus meruit demonibus associari. Sic Herodes, quia non dedit gloriam deo, percussus est ab angelo et scotens vermibus expiravit. Sic omnes viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos, et omnem virum iniustum male capient in interitum. Factus est timor super omnes qui aderant et super omnes vicinos eorum et super omnia loca regionis illius divulgabantur verba haec: Tali morte, morte pessima, mortuus est infelix rex iste, quia non dedit gloriam deo nec beato apostolo, et sic periit memoria eius de terra, non tam de ista morientium, quam etiam de illa terra viventium. Solus iste quia solus peccavit, solus periit, et uxor eius fidelis fideliter vivens salvari meruit. Ille igne suo exustus est, ipsa ab igne salva est, et non tetigit / eam omnino ignis neque contristavit, nec quicquam molestiae intulit. Duo quippe in lecto uno, vir et mulier, ista et ille, ista relicta est ad vitam, ille consumptus et assumptus ad penam aeternam. Quia ~~ita~~ ⁱⁿ pestilente flagellato astutior erit innocens, omnes, qui ista legerint vel audierint, timeant et caveant similia, ne similia patientur. Vigiliam ergo beati Mathiae apostoli fideles quique devote ieiunent et diem eius sanctum iocunde celebrent, ut meritis beati apostoli adiuti per haec annua festa et temporalia mereantur pervenire ad illa caelorum festa continua et aeterna.

= W 58, Mar 101a, f 315, H 10

71.) De puella paralitica sanata.

In episcopatu Spirensi est civitas, caedem domni regis, quae vocatur Gruninge spectans ad imperium, in qua civitatis habitatores in fraternitate beati Mathiae apostoli ex antiquo fratres conscripti et associati sunt. Ipsa enim fidelis multitudo devotae civitatis inter se collectas faciens de oblationibus spontaneis et voluntariis votis cereum magnam coram tumba beati apostoli ad honorem ipsius apostoli statuit, singulis annis veniendo et beatum apostolum visitando et eundem cereum

57r

innovando et augendo. Multa enim fide et devotione erga ipsam beatam apostolum multitudo civitatis illius fervebat, et quia probatio dilectionis exhibitio est operis, in exhibitione operis, videlicet magis cerei et visitatione annuali demonstrabat, quanto affectu duceretur erga venerationem gloriosi apostoli. Hoc ad gloriam dei et honorem beati apostoli de illa devota multitudine civitatis venerandi patres et viri misericorditer fecerunt, quorum iustitiae oblivione non acceperunt. Cum semine sanis eorum permanent bona instituta illorum, et pro patribus bonis boni nati filii usque in hodiernum diem morem sequuntur antiquum. Singulis / annis veniant, si tamen pax et tempus tale veniendi fuerit, quo possint secure limina beati apostoli visitare. Generatio praeterit et generatio advenit et generatio patrum praeteriens generationi advenienti et succedenti bona et pia exempla relinquit, unde et filii eorum venientes veniant cum magna exultatione portantes suas oblationes et vota solventes in multa devotione et cordis simplicitate nomina sua describi faciant fideliter credentes et sperantes, quod per haec et alia bona meritis beati apostoli in libro vitae conscribantur.

Universi ergo eligerunt magistrum fraternitatis scultetum ipsius civitatis Godofridum nomine, virum strenuum et industriam, qui quidem ad opera et negotia regis aptus et strenuus erat, et ad collectas faciendas et oblationes colligendas diligens et sollicitus, sed ad dirigendas et transmittendas oblationes beato apostolo negligens et remissus. Cum enim pluribus intentus, minor sit ad singula sensus, praedictus scultetus ad opera regis strenue vigilabat, sed oblationes beati apostoli, quas a fratribus fraternitatis ut register eorum susceperat, ¹⁰ pene quinque annis ut negligens et remissus nequaquam beato apostolo transmittabat. Unde per apostolicas visiones severe correptus est et salubriter emendatus, quod in suis locis manifestius exponatur.

57v

Erat autem in eadem civitate matrona quaedam venerabilis, quae cum ceteris et praeter ceteris hominibus saepe civitatis fidelius et tenerius beatum Mathiam apostolum amplectebatur, et sincero affectu et modis omnibus venerabatur. Habebat haec venerabilis matrona filiam, quae ab annis infantiae usque ad nubiles aetatem paralytica erat et omnibus membris dissoluta et destituta in lecto iacebat et usque ad duodecimum aetatis aetatem perseverabat. Erat et ipsa mater puellae iam annis duodecim / marito viduata viduitatem suam religiose custodiens et secundum apostolum cogitans quae domini sunt, ut esset sancta corpore et spiritu. Ipsa ergo mater benigna et pia dolens et merens de longa et diuturna infirmitate dilectae filiae, in suis precibus, quas indesinenter nocte ac die in conspectu domini fundebat, orabat et

precabatur, ut dominus omnipotens per interventum beati Mathiæ apostoli eam pro filia sua misericorditer respicere et viscera pietatis pro voluntate sua super eam quandoque dignaretur habere. Monebat ergo filiam suam, quem ab infantia timere deum docuit et abstinere ab omni peccato, ut beatus Mathias apostolus singulariter et specialiter toto mentis affectu diligeret et excoleret et eum in suis precibus¹³ pura fide et sincera mente cum omni devotione frequenter invocare studeret. Dicebat autem filia¹⁴ suæ: Patiens esto, filia mea et noli deficere a disciplina domini, sed in doloribus tuis semper gratias age. Quem enim diligit deus, corripit, et quasi pater in filio et quasi mater in filia complacet sibi. Justitiae filia sustentationes dei, et omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe et in dolore sustine et in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum et argentum, homines vero receptabiles in camino humiliationis. Hoc autem pro certo habet omnis, qui colit deum, quia vite eius, si in probatione fuerit, coronabitur, si autem in tribulatione fuerit, liberabitur, et si in correptione fuerit, ad misericordiam dei venire licebit. Usque ad tempus sustineat¹⁵ patiens et postea redditio erit iocunditatis, dum visitatio et perceptio venerit optatæ sanitatis. Hiis et huiusmodi sermonibus et exhortationibus mater devota devotæ virginis et teneræ filiae mentem in amorem dei et beati apostoli frequenter accendebat, et ut fidem et / spem et fiduciam salutis et sanitatis anime et corporis suæ ad deum et beatum apostolum haberet, sollicitè ammonēbat. Sic annis currentibus anni duodecim evoluti x sunt, quod prædicta puella lecto decumbente et degrotare cœpit. Quodam autem tempore, cum adesset dies natalis beati Mathiæ apostoli, et omnis sexus omnisque ætas secundum consuetudinem terræ pro reverentia et veneratiōne beati apostoli, præcipue ut devoti et conscripti fratres in fraternitate beati apostoli, ad matutinos surgerent et in ecclesia se invicem maturando prævenirent, hæc venerabilis matrona cum euntibus ibat et cum vigilantibus vigilabat et preces suas domino et beato apostolo cum ceteris orantibus effundebat. Filia vero eius domi paralitica iacebat dolens et ædrens, quod in tanta sollempnitate beati apostoli cum aliis ad ecclesiam ire non poterat. Cum igitur in ecclesia multitudo vigilaret et oraret et vigiliis noctis in laudem dei et beati apostoli cum multa devotione percelebraret, beatus Mathias apostolus fide et devotione fidelis matronæ excitatus et ipsius filiæ desideriis et precibus delinitus vigilantem et orantem virginem iocundo et sereno vultu apparuit dicens: Quia hic iaces filia et quare non surgis et vadis ad matutinos cum ceteris? Respondit puella: Domine, infirma sum et paralitica et omnibus membris dissoluta, et ideo cum aliis ire non possum. Et tu, inquit, domine, quis es qui venisti ad

me? At ille: Ego (sum, ait), Mathias apostolus Christi. Apprehensoque
 brachio eius blande et leniter elevavit eam et dixit ei: Confide filie,
 fides tua te salvam fecit. Surge et esto sana ab infirmitate tua. Et
 statim sana facta est et surrexit et gratias deo et beato apostolo red-
 didit. Et ipse evanuit ex oculis eius. Igitur puella de lecto, in quo
 58v annis duodecim paralytica iacebat, sana surgens et / incolomis ve-
 stibus suis se induit et cum ancillis suis ecclesiam ingrediens sanam
 et incolumem matri suae et omnibus, qui aderant, se ostendit, et quo-
 modo per beatum Mathiam apostolum sanata sit, enaravit. Ostendit eti-
 am brachium suum, et maxime partem illam brachii, quam beatus aposto-
 lus apprehendit, quae candidissima reddita est et super nivem dealba-
 ta in signum revelationis apostolicae gloriae et gratiae, ita ut etiam
 digiti manus apostolicae discerni possent in candoris impressione.
 Universi ista videntes et audientes in admirationem nimiam convertun-
 tur. Laetantur omnes et exultant in conspectu dei et delectantur in
 laetitia. Mater pia et matrona venerabilis in sanitate dilectae filiae
 suae ultra quam credi potest cum omni populo et prae omni populo lae-
 tata est in beato apostolo et exultavit spiritus eius in deo salutari
 suo. Omnis ergo populus in tam praesclari et celebri miraculo per be-
 atum apostolum exhibito aberes gratiarum actiones reddebant domino deo
 devotiores et promptiores existentes de reliquo ad solvenda sua vota
 glorioso eius apostolo. In ewangelio offerebant domino Iesu paralyti-
 cam in lecto iacentem. Et videns Iesus fidem illorum, non illius qui
 non crederet, dixit paralytico: Surge, tolle lectum tuum et vade in
 domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam. Videntes autem turbae
 timerant et glorificaverant deum, qui dedit potestatem talem homini-
 bus. Et in scribis apostolorum, cum Petrus pertransiret universos et
 deveniret ad sanctos, qui habitabant Iydda, invenit ibi hominem quen-
 dam nomine Aeneam ab annis octo iacentem in grabbato, qui erat para-
 liticus. Et ait illi Petrus: Aeneae, sanat te dominus Iesus Christus,
 surge et sterne tibi, et continuo surrexit, et omnes qui videbant,
 conversi sunt ad dominum. Et beatus Mathias apostolus fidelis imitator
 59r Christi / et verus coapostolus Petri puellam paralyticam, omnibus ci-
 vibus suis notissimam et duodecim annis in lecto iacentem erexit et
 sanavit, et omnis populus illius civitatis deum et gloriosum eius apo-
 stolum benedixit et glorificavit. Pars autem illa virginei brachii,
 quam beatus apostolus, dum virginem multis annis et doloribus diu ex-
 coctam et purgaxxxtam sanaret, apprehendit, quod candidissima et
 super nivem alba apperuit, futurae resurrectionis argumentum est, dum
 in praesenti laboribus et tribulationibus excocti et purgati nos om-
 nes revelatae facie gloriam domini speculantes in eandem ymaginem trans-
 formamur a claritate in claritatem tanquam a domini spiritu.

Quod beatus apostolus cuidam matronæ apparuit et magistrum fraternitatis de fraude redarguit.

59v

Matrona illa venerabilis longis vigiliis et extensis orationibus defatigata in ecclesia prædicta resedit et caput inter manus declinans modicum obdormivit. Et ecce in visione beatus Mathias apostolus ipsi fideli matronæ apparuit ferens secum librum, in quo nomina fratrum, qui in fraternitate beati apostoli associati et conscripti sunt, scripta erant. Et aperiens librum coram ea cœpit ex ipso libro ostendere et nomina eorum, qui scripti erant et vota eorum soluta, et quod ille et ille oblationes suas dederit et iste et iste vota sua solverit, et scultetus civitatis utpote magister civitatis omnia receperit et omnia defraudaverit. Et ait apostolus fideli matronæ: Vade et dic sculteto civitatis: Oblationes fidelium meorum ad ceream annuatim faciendum iam diu defraudasti et tulisti, et nisi cuncta reddideris ad triginta dies, quia lumen meum extinxisti, lumen tuum extinguam in æternum. Et hæc / dicens recessit. Expergefacta matrona scultetum ad se vocavit et quæ viderat quæque audierat ex parte beati Mathiæ apostoli ei cuncta narravit. Scultetus ut audivit, mente exterritus est, et cadens in faciem suam dominam adoravit et confessus est ei omnia vera esse quæ audierat. Qui reducens omnia in memoriam, quæ defraudaverat, omnia fideliter restituit et duplicia de suo addidit, et de ipsa pecunia ceram comparans et secum deportans cum eadem venerabili matrona et multo populo sancte civitatis reverentim in ecclesiam sancti Eucharitii ad tumbam beati apostoli venit, et cum multa humilitate et magna animi devotione deo et beato eius apostolo satisfaciens et vota sua cum omni populo, qui secum venerat, solvens ceream magnam trecentarum librarum cereæ ex cera, quam ex oblatione fratrum et ex sua etiam adiectione pecuniæ emerat et secum detulerat, fieri fecit, qui coram tumba beati apostoli, ut in diebus sollempnibus arderet et luceret, statutus est. Hæc prædictæ matronæ et idem scultetus cum magna populi sui societate coram tumba beati apostoli narcarunt, et solutis laudibus et votis cum magno gaudio ad proprias redierunt.

= W 60, Mar. 104r, ~~...~~ 489, H ~~...~~ 12

72 De cereo ter reacceso.

60r

Quodam tempore in nocte sollempni natalis domini, cum secundum consuetudinem sollempnium dierum universi cerei, qui coram tumba beati Mathiæ apostoli solent accendi, accenderentur, iste idem cereus magnus trecentarum librarum cereæ cum ~~ceteris~~^{ceteris} accensus est et usque ad finem divinæ laudis / ardere permissus est. Cum ergo alii cerei finitis matutinis more solito extinguerentur, cereus iste cum ceteris extinc

tus est, sed munere divino et apostolico merito iterum accensus est. Magister sacrę tumbę, cum aliis cereis extinctis istum solum ardere videret, culpans negligentiam fratris, qui alios extinxerat, frater iure iurando illum se extinxisse respondit. Post aliquam horam magister sacrę tumbę regrediens et cereum iterato ardentem videns per semetipsum ~~extinxit~~ ^{illum} extinxit, et tertia vice iterum reaccensus tota die usque ad occasum solis ardens et clarissime lucens duravit, et expleto suo ministerio coram beato apostolo eodem miraculo, quo accensus est, per se extinctus est, clarissimo lumine suo clarissime designans, quia ipse beatus apostolus sicut ceteri apostoli lux est mundi et lucerna ardens et luceas in conspectu domini.

= 564, Mar 107r, H 11

73.) De agris beati apostoli, quos grando non tetigit.

In episcopatu Coloniensi est villa quędam, quę vocatur Mekkelheim, ubi est fraternitas beati Mathię apostoli, quę etiam cereum habet statutum coram sacra beati apostoli, quem pro posse suo oblationibus suis singulis annis innovat et adauget. Isti fideles fratres de residuis collectis suis quosdam agros in honorem beati apostoli emerunt, et agros beati Mathię vocaverunt apostoli, quos excolentes et serentes fructum eorum in obsequium beati apostoli oportuno tempore de-
 60v
 & ferri statuerant. quadam vice, dum idem agri / beati apostoli cum ceteris agris regionis illius bene excolti et sati essent et iam segetes albę essent et propinquarent ad messem, magna intemperies surpe surrexit et grando maxima in regione illa cecidit et omnes segetes regionis illius vehementer ~~percussit~~ ^{con-} percussit et excussit, ita ut inutiles redderentur cultoribus suis, agri vero beati apostoli ipso beato apostolo custodiante et servante illęsi omnimodis permanserunt, nec aliqua cęli inclementia vel quarvis violentia effusę grandinis læsi fuerunt. Istud recens miraculum antiquo illi miraculo in terra Ægypti comparatur, sicut in Exodo scriptum est: Cunctam herbam agri percussit grando et omne lignum regionis confregit, tantum in terra Gesen, ubi erant filii Israel, grando non cecidit. Ita in hoc miraculo omnes segetes regionis illius percussit grando, agros vero beati apostoli grando non tetigit. quod videntes incolę regionis illius admiratione magna admirati sunt, et assumentes parabolam bonum custodem et fidelem sarritanum agrorum suorum beatum apostolum nominabant, qui apostolica prædicitus potestate ea virtute, qua potuit servare agros suos tam violenter a grandine imminente, posset et fideles suos ab omni adversitate tueri. Benedixerunt ergo deum et beatum eius apostolum,